

BV 4254

L3

C3

V.3



FONDO EMETERIO  
VALVERDE Y TELLEZ

DE SACRIS ARCANIS  
**DEIPARAE VIRGINIS**  
IN FESTO S. MARIAE AD NIVES

ET IN EVANGELICA ILLIUS DIEI LECTIO LATENTIBUS

**LIBER DECIMUSQUINTUS**

HOMILIA I.

*In illa verba Ecclesiast. Imperio suo acceleravit nivem, proprietates, et effectus nivis in laudem b. Virginis, et nostram utilitatem convertuntur.*

Quamvis non pauca Deiparae Virginis praeconia, duobus integris voluminibus a me, Divina irrorante gratia, nuper elucubratis effuderim; tamen cum legi Ecclesiasticum (c. 43) dicentem: *Multa abscondita sunt maiora his: pauca enim vidimus operum eius, continuo accinctus sum, haec maiora diligenti indagine investigare; ut quod de Virginis Filio idem Ecclesiasticus dixit: Exaltate illum quantum potestis: maior enim est omni laude, in matrem etiam eius, sicut et praecitata verba, alias de aeterna Sapientia dicta, recte convenire autem: Deiparam enim virginem nunquam satis extolli, aut pro dignitate honorari posse, omnes Ecclesiae Patres unanimi sensu contestantur. Unde d. Anselmus (lib. de excell. Virgin. cap. 2) dixit: Ea quae incunctanter de b. Virgine vera existunt, tanta laudis materia sunt referta, ut quicumque in laudando eam morari desiderat, necesse sit, ut facultas eius magnitudini rei succumbat. Cuius rationem reddit b. Petrus Damianus (ser. de Nativ. b. Virg.): Quia, inquit, impar est illi omnis humanae linguae praeconium. Sed parum dixit, cum nec angelica encomia ei sufficiant, d. Ioanne Damasceno dicente (orat. 1. de Assumpt.): Eam non hominum lingua, non mundo sublimior angelorum mens sat dignis laudibus efferre potest, per quam Domini gloriam intuari nobis datum est. Unde ingeniose s. Basilus Episcopus Selenciensis (or. de Annunc. b. Virgin.) dixit: Qui omnia illu-*

stria, et gloriosa dixerit, nusquam is a veritatis scopo aberrabit: attamen dignitatis magnitudinem nulla unquam oratione exaequabit. Quibus consonant egregia illa Mantuani carmina (lib. 1. Parthen.):

Nulli adeo vivax animi solertia, nulli  
Tam felix aderit florentis gloria linguae.  
Ut Mariae possit laudes aequare loquendo.  
Quae data sunt illi, nunquam mortaliibus allis  
Antea concessit, nec post concedit Olympis.

Atqui ad hoc ipsum significandum libro Exodi (cap. 24) legitur, duo cherubim in sancta sanctorum collocata fuisse, qui alis suis expansis arcam illam mirabilem contegebant, quam tyrum fuisse b. Virginis communis est Patrum sententia. Cherubim autem, ut d. Dionysius docet (de coelest. Hierarchia), plenitudinem scientiae significant: alae vero intellectus eorum cogitationes designant: nam sicut aves alis suis pervolant, et alta loca conscendunt, ita cherubim perspicacissimi sui intellectus cogitationibus, divino lumine perfusi, altissima penetrant sapientiae arcana. Cum ergo dicitur, cherubinos alis suis tegere arcam Dei b. Mariam adumbrantem, aperte significatur, tantam esse b. Virginis celsitudinem, ut quanto altius cherubim evolant ad illam comprehendendam, tanto magis investigabilem agnoscat; ad eum certe modum, quo qui solem videre desiderans, quanto magis oculorum aciem in solis iubar figit, tanto magis inde caecutit. Quantumvis ergo cherubini magna, et ineffabilia b. Virginis arcana penetret; adhuc tamen semper mystica haec arca manet alis eorum teeta, perinde ac si ad eis nunquam fuisset reserata. Atque hoc etiam facit, ni fallor, quod Ezechiel (cap. 41) dixit: Porta haec clausa erit, et vir non transibit per eam: licet enim verba

008489

haec indicent b. virginem incognitam fuisse viro quantum > complexum maritalem; non desunt tamen qui putent etiam intelligi posse in hoc sensu, quod b. Virginis excellentia omnibus, et satis perspecta; nomine autem viri cop. 4. solum vult intelligendus homo sanctitate conspicuus, cuiusmodi erat Iob, de quo dicitur (lib. 1): *Vir erat in terra Hus*: nec solum vir sapiens, ut Salomon (1. Reg. 18), cui pater ejus dixit: *Verumtamen esto vir*: sed etiam Angelus, nam (Daniel. cap. 9) Gabriel vocatur vir: *Adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel*. Est igitur Deipara Virgo propter eximiam eius excellentiam porta clausa, et inaccessa omni tam humanae, quam angelicae intelligentiae, quia, ut dixit d. Iohannes Damascenus (orat. 2, de Assump.): *Virgo omnium encomiorum legem excedit*.

Verum ob hanc tantam b. Virginis miram celsitudinem, minime putaverim tanta maiestatis pavore concessis, a laudibus eius abstinendum, Iohanne Damasceno dicente (orat. 1. de Assump.): *Quid ergo? an quia eam pro dignitate laudare minime possumus, ideo metu reprehensi conticescimus? minime sane; quin potius, et utraque corolla, cum sacra reverentia, tremente manu, ac cupido animo, viles ingenii nostri primitias, regiae matri, de universa natura benemeritae, quod, candidoque animo, tantum debitum quoddam persolvemus*; haecenus d. Damascenus. Etenim sicut rusticus ille, cuius ibidem meminit idem sanctus Doctor, concavis manibus exceptam aquam regi obtulit, gratissimum fuit exiguum munus, non ab exiguo animo profectum: ita licet tanta matri oblata a nobis laudes impares esse necesse sit; ipsam tamen non tam exiguitatem muneris, quam plium animi affectum pendente, grato animo eas suscepturam, non ambigo; maxime quod a Spiritu sancto charissimo eius sponso profectas, probe agnoscit: id enim plane cecernerat regius Vales (Psal. 86): *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei*: et postea subiunxit: *Dominus narrabit in scripturis populorum, et principum horum, qui fuerunt in ea*. Ecce David, divino spiritu afflatus, non solum b. Virginis illa encomia, quae insignes, ac praecipui Doctores, sed et quae populares, et vulgares homines scribant, ipsi Deo, tanquam auctori adscribit. Unde, ubi vulgatus Interpres (Psal. 86) legit: *Memor ero Rahab, et Babylonis scientium me, Paraphrastes Chaldaeus vertit: Laudare faciam Aegyptios, et Babylonios*, quos constat prae aliis omnibus discolors magis esse. Id autem quid quaeso aliud est, nisi quod in eodem Psalmo canit David: *Dominus narrabit in scripturis populorum, et principum horum, qui fuerunt in ea*. Cui profecto vaticinio illustrandum mirifice congruit, quod in vitis philosophorum de Euripide legitur, quod propter inestimum odium, quo foemineum sexum prosequeretur in suo testamento hoc ei legatum reliquit, ut quidquid ubique gentium in foeminarum opprobrium dictum, aut scriptum reperiretur, sibi tanquam auctori adscribi gratum, et ratum haberet: non dissi-

miter, sicut Euripides propter odium in foeminas; ita certe Deus propter singularem amorem erga b. Virginem, quaecunque in eius laudem catholice scripta sunt, sibi praecipue tribuit, et tanquam proprio auctori deferri cupit: *Dominus narrabit in scripturis populorum*.

His accedit, quod ad b. Virginis laudes decantandas calcaria mihi addit, quod dum Virginem matrem commendo, a laude filii non desisto; ut enim dixit d. Bernardus (hom. 4. sup. Miss. est): *Sicut cum filium honoramus, a laudibus matris non recedimus, ita dubium non est, quidquid in laudibus matris proferimus, ad filium pertinere*. Quibus consonat illud d. Ildephonsi (lib. de virg. Mar. cap. 2) dicentis: *Quod servit ancillae, ad dominam pertinet; et quod in regis honorem transit, in famulatum Deiparae transfertur*. Etenim quemadmodum, ut docuit d. Gregorius (lib. 5. mor. c. 5), qui chordarum harmoniam temperant, tanta hanc arte dardum harmoniam temperant, tanta hanc arte chorda qualitur: ita Iesus, et Maria sic inter se bene consentiunt, ita filius, et mater, tanquam harmonicae chordae sibi invicem consonant, ut matris laudibus insonantibus, necesse sit filii laudes simul personare, necesse dicente (Prov. 17): *Gloria filiorum patres eorum*. Ex quo testimonio d. Thomas (3. p. q. 27. art. 4) probat honorem b. Virginis in Christum filium eius maxime redundare.

Ad extremum b. Virginis laudes minime silere, sed accuratius, et impensius prosequi, illud vehementer stimulat, quod non solum per vetusti haeretici Cherinthus, Ebion, Valentini, Helvidii, Iovinianus, sed et recentiores haeresiarum Marlinus Bucerus, Lucas, Sternbergerus, Petrus Martyr, non Christi, sed Sathanae, Anabaptistae, et alii Aulhidicomarianitae ardentissimo odio in b. Virginem flagrantes, multis conviciis, et blasphemis Deiparam Virginem commaculare non verentur: haec enim nostra tempestate compleri conspiciunt, quod Iohannes non propheta minus, quam Apostolus, et Evangelista, de Antichristo, eiusque sodalitate in ultima aetate futurum, in Pathmos insula vaticinatus est: *Aperuit, inquit, os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen eius, et tabernaculum eius*. Mariae Dei tabernaculum dici, praeter veteres alios, s. Methodius (in hypop. Dom.), et d. Athanasius adnotantur, illoque Davidis testimonio confirmantur (Psal. 45): *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus*. Nullus enim unquam fuit, est, aut erit mortalium, qui nomen hoc de b. Virgine reclusum mereatur, in qua Verbum illud aeternum carnem assumens, velut in lectissimo tabernaculo nullis mensibus habitavit, et ex quo demum, velut sponsus matris diademate, et carne virginea coronatus, ad filias Sion, non sine cordis laetitia processit in orbem: quanto igitur horum haereticorum execranda in beatam Virginem peulantia, atque inreverentia effervet, tanto ardentius b. Mariae praeconia decantandi desiderium animum accendit, ne nos qui Ecclesiae catholicae fideles alumni gloriamur in exornando, et honorando Dei taber-

naculo, tepidiores, aut minus ferventes cultores inveniamur, quam impudentissimi haeretici in eo despiciendo, et blasphemando se exhibuisse noscimus; non tamen propterea ita desipio, ut putem omnia Mariae praeconia me comprehensurum: id enim esset in proverbii illius incidere scopulum: *Atlanticum mare colyla exorere*; curabo tamen multa, eaque non vulgaria in laudem tantae matris proferre, in quibus non tam verborum cultum, quam veritatem affectabo: ut enim dixit d. Basiliius (in epist. ad Diod.): *Inaffectata dictionis simplicitas decora mihi videtur, et conveniens professioni Christiani hominis, cuius est, non ad ostentationem magis scribere, quam ad publicam utilitatem: quam veritatem eloquentiae parens Cicero, tametsi ethnicus, non ignorasse mihi videtur, siquidem (lib. de finib.) dixit: Quod de re bona dicitur dicitur, mihi praeclare dici videtur: istiusmodi autem res dicere ornate velle, puerile est; plane autem, et perspicue expedire posse docti, et intelligentis viri*. Nemo ergo expectet a me cultum, ac pompam sermonis: *Hac enim, ut d. Ambrosius praeclare dixit (in cap. 1. epist. 1. ad Corinth.), praedicatio, et fides christiana non indiget, ne videatur esse exversuta, et calliditate humanae sapientiae, non ex veritate*. Super epistolam vero (2. ad Cor. 14) inquit: *Gloriam suam quaerit, qui fidem Christi verbis exornare vult: obscurat enim illam splendore exornare, ut non illa, sed ipse laudetur*. Scio quod quocunque modo me geram, imperiti, ac maledicti detractoris morsum non effugiam; et tamen illud Marthialis (lib. 1. epigr. 19) obicium:

Com tua non edas, carpis mea carmina Laeli,  
Carpere vel noli nostra, vel ede tua.

Quod si dicas, iam in hoc genere argumenti alii insudarunt scriptores, audi d. Augustin. (lib. 1. de Trin.) haec dicentem: *Expedit plures libros a pluribus fieri diverso stylo, non diversa fide, etiam de quaestionibus eisdem, ut ad plurimos res ipsa perennat, ad alios sic, ad alios autem sic*.

Unde ad rem nostram propius iam accedens, cum origo praesentis festivitatis s. Mariae ad Nives nuncupata, omnibus fidelibus notissima sit, paucissimis illam perstringam, ut fundamentum dici, praeter veteres alios, s. Methodius (in hypop. Dom.), et d. Athanasius adnotantur, illoque Davidis testimonio confirmantur (Psal. 45): *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus*. Nullus enim unquam fuit, est, aut erit mortalium, qui nomen hoc de b. Virgine reclusum mereatur, in qua Verbum illud aeternum carnem assumens, velut in lectissimo tabernaculo nullis mensibus habitavit, et ex quo demum, velut sponsus matris diademate, et carne virginea coronatus, ad filias Sion, non sine cordis laetitia processit in orbem: quanto igitur horum haereticorum execranda in beatam Virginem peulantia, atque inreverentia effervet, tanto ardentius b. Mariae praeconia decantandi desiderium animum accendit, ne nos qui Ecclesiae catholicae fideles alumni gloriamur in exornando, et honorando Dei taber-

persum venit, locum Ecclesiae perlustrat, quae Iohannis, et uxoris pecunia h. extracta: adest ibi pulchra imago b. Virginis, aeternum Iesum in ulnis foventis a s. Luca depicta, miraculis multis inlyta, atque illo inprimis, quod a s. Gregorio Papa, grassante per urbem per vias civitatis devote gestata, illam fugavit. Licet autem permulta templa Mariano nominati sint in urbe sacra; hoc tamen s. Mariae ad Nives principem locum lenet, ut propterea multis etiam sit insignitum nominibus: dicta quippe est s. Maria ad praesepe, quod in ea servatur praesepe Christi Domini, de quo Ecclesia Romana:

Vagit infans inter arcia  
Conditus praesepe:

dicta est Basilica Liberii a nomine sui conditoris: dicta s. Maria Maior, quod ceteris dignitate praestet. Unde d. Greg. (lib. 2. Reg. ep. 2. et lib. 4. Moral. cap. 15) per antonomasiam Dei Liberii Ecclesiam absolute eam appellat.

Hoc peracto fundamento, exploremus, quaeso, causas, ob quas Deipara Virgo vultur et templi sui nomine sacrandi, locum nive praesertim designare: etenim cum mille aliis modis poluisset sancta Virgo Iohanni patri, et Liberio pontifici voluntatem suam manifestare, facile mihi persuasum, haud mysterio vacare, quod nive domum in honorem eius denovo extruenda locum designare vultur: maxime quod Spiritus s. (Proverb. 25) ait, consentaneum non esse naturis rerum, imo et indecens, et indecorum, tempore aestivo, nivem pluere: *Quomodo nix in aestate, et pluvia in messe, sic indecens est stulto gloria*: ubi Glossa ait: *Indecens est, quia contra naturam temporis*. Ecce iam dissonum, ait, in aestate nivem pluere, quam a ratione alienum, stulto gloriosum ali-quod munus credere. Nivis ergo coelitus a b. Virgine in montem Exquilium missa, tempore aestivo, sermonem a nobis extorquet, ut varia, quae in missione huius nivis delitescunt arca, diligenter referamus: ad tria capita illa omnia revoco: quaedam enim respiciunt eximiam b. Virginis puritatem; quaedam conjunctionem virginitatis cum matritate; quaedam tandem munditiam spiritalem, quam Deipara Virgo in famulis suis praefulgere desiderat. Imprimis ergo, in eo, quod locus habitationalis Deiparae Virginis nive delineatus fuerit, mihi ob oculos proponitur singulare, quod interest, discrimen inter Dei genitricem, et reliquos filios Adae, quod istorum conceptio, quae aedificatio est lateae domus singulorum, nigerrimo peccati originalis tione delineatur; at immaculatae Virginis conceptio divinae gratiae candidissima nive fuit designata. Unde sicut nix a primordio suae generationis nunquam candore caruit, nunquam non fuit candida, ita b. Virgo a principio suae conceptionis, nunquam candore, et nitore gratiae caruit, nunquam non candida inventa est. Quare ad hunc candorem significandum (in 3. Synodo Actio. 3) vocatur Maria, *Immaculata, et omni sensibili, atque intellectuali natura purior*: et in concilio Francfordiensi (epist. ad Episc. Hisp.),

voceat Maria, *luculata, prorsusque pura*; non fuisse autem prorsus pura, si impuritate peccati originis fuisset denigrata, et d. Ioann. Damasc. *fat. 2. de assumpt. b. Virg.* loquens, *Ad hunc paradisum serpens aditum non ingreditur*: alludit ad paradisum terrestrem, ad quem inficiendum serpens ille antiquus aditum invenit; ad coelestem vero paradisum, Mariam scilicet, ait serpentem aditum non habuisse, cum eam peccati originalis labe deturpare non poterit: si enim deturpasset, vere aditum habuisset. Equidem ad honorem tanti filii spectabat, qui candor est lucis aeternae, matrem eius candore gratiae nunquam caruisse. Refert Plutarchus, Darium regem bellum indixisse contra Scythas, qui oppida relinquentes, ad interiora terrae se tanto magis recipiebant, quanto amplius ille appropinquabat; ad quos sic Darius: *Quosque fugere destinatis?* qui responderunt: *Usque ad sepulchra parentum*; quasi dicerent: Domos, et civitates nihili facimus, tolle tibi, plures enim vitam quam domos aestimamus: at si ad tumulos parentum accesseris, ut aliquid in eos indecorum committas, scito nos ibi expectaturos, et belligeraturos ad mortem usque pro parentum mortuorum gloriam: tanta quidem cura filiorum de gloria parentum fuit, ut gloriam eorum propriam vitam reputarent. Quod si gloriam parentum mortuorum tanti faciunt barbari homines, in quibus vix scintilla iuris naturalis remansit, quid de Christo sentiendum pro matris excellentissimae honore, et gloria effecisse? sane quod nihil indecorum, ac indecens in b. Virgine a primordiosi suae conceptionis irrepressibile passus est. Cornelius Tacitus commemorat, Germanos in bello contra Romanos pugnantes, iam fere a Romanis victos terga vertere voluisse; affuerunt autem a tergo uxores, et matres eorum, dicentes: *Eia sponsi, et filii viriliter agite*, ne sponsas, et matres vestras in manus inimicorum, et in captivitatem ire videatis, nec talia patiamini; et in captivitate ire videatis, vincite hostes; quibus quidem verbis adeo roborati fuerunt, talesque spiritus, et animos resumpserunt, ut Romanos viriliter et expugnarent, et vicerint. Beatissima Virgo sponsa, et mater Dei est, quidni defenderet eam filius, et sponsus? volebat eam truculentis hostis in captivitate redigere; sed eam sibi matrem, et sponsam futuram prospiciens Dominus hostem expugnavit, et fugavit, et liberam sponsam, ac semper immaculatam matrem effecit. Atque haec a peccato originali praeservatio fuit primus fructus, quem Christus Dominus ex copiosa sua redemptione percepit; ut mihi non obscure indicant verba illa divi Ambrosii *(lib. 2. in Luc.)*: *Nec mirum, si Dominus redempturus mundum, operationem suam inchoavit a matre, ut per quam salus omnibus parabatur, eandem primam fructum haberet ex pignore*. Et quidem cum b. Virgo futura esset animatum tempus Filii Dei, in quo novem menses ex ea carnem assumens, habiturus erat, oportebat in eius adificatione non communes, et vulgares expensas fieri, sicut aliis, sed quales decebant magnificentiam non modo regiam, sed divinam: etenim si de templo adificando

*(1. Paralip. 12)* David dicebat: *Ecce ego in paupertate mea praeparavi impensas domus Domini, auri talenta centum milia, argenti mille milia talentorum, aeris, et ferri non est pondus. Quod sane aurum, et argentum, si ad calculum nostrae pecuniae supputare velimus, centum milia auri talenta, mille sex centos octingentes tres miliones scutorum, ut vocant, pecuniae romanae, qui decem argenteis constant. Argenti vero mille milia talentorum, mille quadringentos quadraginta miliones scutorum conficiunt, ut adnotavit eruditus auctor Villapandus *(sup. Ezech. tom. 3. in appar. tabul. 1. de numis. et ponder. et tabul. 2. idque probat lib. 2. de pond. et numis. disputat. 4. cap. 33)*. Si, inquam, in adificatione materialis templi tam pretiosa, David pauperem se vocans, illi praeparavit; consequens est, Deum, omnium ditissimum, in adificationem animati templi matris suae, pretiosiora multo concessisse. Unde sicut rationem praebens David *(1. Paral. 29)* tam magnifici apparatus, illam reddidit: *Opus namque grande est, neque enim homini praeparatur habitaculum, sed Deo; qui non nihil mirandum, si de conceptione b. Virginis, quae adificatio fuit Mariani templi, tam gloriosa praedicatur: etenim non puro homini praeparabatur habitatio, sed Filio Dei incarnato, qui non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo. Non solum autem per abedinem, et candorem nivis, significatur nobis puritas immaculatae conceptionis, sed et integeritas eius virginitas, ut plane colligitur ex illo *(Apoc. 3)*, ubi loquens Dominus de virginibus: *Ambulabant mecum in albis, quia digni sunt: et (cap. 6)*: *Datas sunt spondus stolae albae: et (cap. 7)*: *Accipite stolas albas: ecce albedo in sacris eloquiis symbolum est virginitalis.***

Sancti Patres eximiam b. Virginis Deiparae virginitalitatem perpendentes, variis encomiis, et epithetis Mariam illustrare conati sunt. Etenim s. Ephrem *(orat. de Deip.)* vocat illam *coronam Virginum*: cui persimile est d. Cyrilli Alexandrini *(homil. 6. contr. Nestor.)* epithetum, *Virginitalis coronam*, illam compellantis: s. Iudephonsus *(ser. 1. de Assumpt.)* vocat eam: *Fastigium omnium Virginum*: et *(serm. 4. de cap. Virg.)*; et *(lib. de Virgin. Mar.)*: *Aeternitalis virginitalitatem*. Eam nuncupat d. Damascenus *(orat. 1. de Nativ.)* *Virginitalis thesaurum*. Glamat d. Epiphanius *(haeres. 78)*: *Principem virginitalitatis*: Chrysologus *(serm. 82)*: *Reginam totius castitatis, virginitalis decus*. D. Anselmus *(de Excellent. b. Virg. cap. ult.)*: *Matrem virginitalis*. S. Bernardus *(tract. de Passion. Dom. cap. 3)*: *Virginum primiceriam*. D. Bonaventura *(in litan. Deip.)*: *Virginum signiferam, et decus virginitalis puritatis*. Ac tandem Sabellius *(lib. 5. c. 6)* praecleara haec scripsit: *Fuit Deiparae Christi mater non solum virgo, sed summum etiam Virginum decus, et speciem unicum, ut nefas sit sanctissimum eius nomen in ordinem redigere, nisi prototypus sit, et virginitalis idea*. Unde d. Bernardus *(homil. 2. sup. Miss. est)* dixit: *Novum Canticum illud, quod solis adificatur in regno Dei cantare virginibus, ipsam Virginem reginam cum ceteris, imo primam inter ceteras esse canituram nemo est, qui ambigit.*

Puto autem illam, praeter illud, quod cum omnibus tantum virginibus ei, ut dixi, commune erit, dulciori quodam, atque elegantiori carmine laetificaturum esse civitatem Dei, cuius utique dulcescentis deponere, vel exprimere moluiss, ne ipsarum quidem virginum ulla digna invenitur, quia merito et decantandam seroventur, quae sola de partu et partu divino gloriantur: quibus persimilia sunt, quae idem s. Bernardus *(tract. de pass. cap. 31)* scripsit in haec verba: *Iam si omnes virginum canticum illud cantabunt, nunquid Maria Virgo virginum primiceria non cantabit? cantabit utique, et tanto iucundius, quanto castior praeceteris; praebitque toti choro in cantando exemplum, quas ad virginitalis amorem suo inclavit exemplo; haec d. Bernardus, qui recte dixit: In cantando praebit exemplum: quia sicut Maria sator Moyses, ut adnotavit divus Ambrosius *(lib. 1. de Virg.)*, pudore virgineo choros duxit, quando demerso Pharaone in mari rubro, ceteris omnibus mulieribus Hebraeis egressis post eam cum tympanis, et choris, ipsa praecedebat, dicens *(Exod. 15)*: *Cantemus Domino: gloriose enim magnificatus est, equum, et ascensorem protecit in mare; illa in coelo virginum omnes, sicut in terra Mariae Deiparae exemplum sequentes, illam, tanquam principem tympanistram, ut vocat eam d. Augustinus *(serm. 18 de Sancti)*, in divinis laudibus eam sequentur. Illud tamen speciale est ei, quod cantantibus aliis virginibus canticum novum, ipsa cantat aliud canticum novum, maius, et mirabilius, quod est solummodo cantare competit: canit non solum, quia virgo est, quod commune habet cum nullis, sed quia fecunda virgo, seu virgo peperera, quod in ea singularissimum est: cantat enim inter matres canticum virginitalis, et inter virgines canticum foecunditatis. Huiusmodi autem canticum novissimum, et inauditum est, et nemo potest cantare illud, nisi illa, quae virgo manens peperit agnum; non quemcumque, sed Agnum Dei, qui tollit peccata mundi, cuius carne vestimus, nutrimus, delectamur, et ad resurrectionem immortalitatem tendimus, ipso dicente *(Ioa. 11)*: *Ego sum resurrectio: et (c. 6)*: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum*. Fuit autem tanta Mariae virginitalis puritas, ut non solum purissimos quosque viros, ac incontaminatos omnes virginum, verum et ipsos spiritus angelicos longe superaret, ut docet s. Antoninus *(4. part. tit. 15. c. 17. §. 4)*, cuius haec sunt verba: *In omnibus aliis viatoribus castitas est cum pugna contra fomitem, et cum casu ad minus imprime ventale; et cum possibilitate cadendi etiam in mortale, exceptis sanctificatis in utero, et Apostolis Spiritu sancto repletis, prout dicit Albertus: sed in b. Maria fuit castitas sine pugna fomitis, et sine casu, et possibilitate cadendi in mortale, vel ventale: nec solum hominum viatorum, sed etiam angelorum castitatem excessit: est enim primo multiplicior, quia angeli solum eam habent in spiritu, non in corpore, quod non habent; sed b. Maria in spiritu, et corpore est virgo. Est secundo nobilior, et utilior, quia angelus est naturalis, unde nec meritoria; in b. autem Ma-***

*ria est gratuita, et meritoria. Est tertio gloriosior, quia in angelis quasi necessaria, et sine pugna; in Maria vero voluntaria, et cum victoria; hucusque s. Antoninus; sed et his addit d. Bernardus *(serm. de Nativ. b. Virg.)* haec praecleara, dicens: *Ne steteris inter angelos Virgo sacra, sublimius aliquid tuo tibi ministerio prophandam terra sitans praestatur. Cum hac autem puritate virginum angelicum puritatem longe transcendente tanta in b. Virgine coniuncta fuit corporis munditia, ut divus Epiphanius, id referente auctore Pomerii *(de b. Virg. part. 3. art. 3)*, affirmaverit, etiam in infantia, infanilibus immundis eam caruisse: *Mundissima*, inquit, *fuit plerumque creta potest: nunquam enim aliquid foedi in ea visum est, et cum involtebatur in cinis, iuxta morem puerorum, nunquam se maculavit; haec uno semper modo se munda conservavit; sed divus Epiphanius.***

Porro scit candorem nivis concomitatur foecunditas: etenim nisi super terram sistens, eam foecundat, et impingit, nam sua frigiditate poras terrae clausos compellit ad interiora radicum: unde per quandam antiphrasim terram foecundat, ita candorem Marianae virginitalis mira foecunditas a tempore angelicae annunciationis concomitata est: tunc enim in violata Virgo permanens, eundem, quem ab aeterno Patre in pectore suo genuit, Maria in tempore utero suo feliciter concepit; ad quod significandum ipsa se viti comparavit: *Ego quasi vitis fructificavi suavitate odoris *(Eccl. 24)**; etenim sicut vitis suavitate odoris absque sua laesione profert, ita etiam Deipara absque laesione virginis suae integritatis, Iesum benedictum fructum ventris sui nobis protulit; et quemadmodum ut vitis pulchrum fructum producat, oportet plantam, et radicalem esse in loco, in quo calor solis reverberet, puritas aeris adsit, et ducto de terrae non desit; ita b. Virgo cum ardens charitatis calor interiora eius penetraret, et sibilus aurae tenuis in illam perforaret, divinum non poterat non instar foecundae vitis pulcherrimum producere fructum. Memini, quod praesentis argumenti facit, Astyagen somniasse, ut auctor est Pierius Valerianus *(l. 53. verb. felix)*, quod ex visceribus filiae suae, Mandanes, nascebatur vitis quaedam, quae suis palmitibus totam Asiam operiebat, quod postea reipsa impletum fuit in Cyro nepote suo, ex filia sua orto, qui totam Asiam sibi subdividit. Sed altius hoc completum intueor in b. Anna Deiparae Virginis matre, ex qua ortum habuit Mariana vitis, cuius unicus dumtaxat palmet, Christus scilicet Dominus, non solum per totam Asiam, sed per universum terrarum orbem diffusus est, ut testatur David, dicens *(Psal. 72)*: *Dominabitur a mari usque ad mare, et usque ad fines orbis terrarum*. Ad eandem etiam foecunditatem cum virginitalitatis coniunctam comprehendam b. Virgo storaci se comparavit: *Quasi storacis vaporem habitacionem meam, *(Eccl. 24)**; Refert Plinius *(lib. 24)*, storacem esse praestantissimum remedium ad impedienda partus propulsanda. Certe in natura nullum maius impedimentum reperitur ad concipiendum, et

pariendum, quam virginalis integritas; quia tamen, Spiritu s. cooperante, integra, et involuta semper manente b. Mariae virginitate, et hoc impediendo non obstante, Filium Dei genuit, et parturivit; merito storaci se comparavit, ipsam virtutem habenti partus impedienda auferendi. Tandem ad hoc idem significandum nobilis auctor Robertus Holcot (*sup. lib. Sapient. lect. 40*) b. Virginem fici comparat, in quam recte convenit illud Christi Domini (*Matt. 24*): *Ab arbore autem fici discite parabolam*. S. Isidorus de fico agens, ait ficum foecundissimam esse omnium arborum. Unde non putarem a ratione alienum, ficum a foecunditate dici: quia cum reliquae arbores fructum semel producant in anno, ficus ter diversis temporibus fructum suum germinat. Merito ergo beatissima Virgo fici comparatur, cum ex divina virtute tam eximia fuerit eius foecunditas, ut etiam absque virgo foecundante, sola produxerit fructum omnium optimum, Iesum, naturalem Dei, et ipsius filium, quotidieque tot fructus germinat, quot singulis diebus filios spiritualiter Deo parit. Quod si Plinius de fici Indica sermonem insistentem affirmat, fructum eius suavissimum, ac dulcissimum esse, nemo ignorat de fructu ventris Mariani dictum esse (*Sap. 16*): *Quam suavis est Domine spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pana suavissimo de coelo praestito, esurientes replet bonis*. Quod si idem Plinius subiungit, adeo in admirationem rapere fructum Indicae fici illo vasescentes, ut pro miraculo a comedentibus reputetur: sane fides Mariani utri fructum degustantes ingenue fateantur, adeo miraculosum esse, ut pariter sit Deus, et homo; quod est omnium miraculorum maximum. Ac tandem, sicut testatur divus Isidorus (*lib. 17. Etymol. c. 7*), tanta esse perhibetur huius fici virtus, ut si ferocissimus laurus ad eam ligetur, continuo ille mansuescat, ac omnem ferocitatem deponat: non secus Dei Filio accidit, qui, cum antea (*Psal. 93*) *Deus ultionum* nuncuparetur; unde eius unico verbo audito, Adam coepit pavere, et curavit, licet frustra, a facie eius, cui omnia adsunt, se abscondere; postea tamen humanitatis vinculis intra virginem thalamum alligatus, et constrictus, ita coepit mansuescere, ut qui antea rugiebat, ut leo: *Leo rugit, quis non pavebit?* iam, ut agnus, et infans unius diei vagire incipiat:

Vagit infans inter aetna  
Conditus praesepta.

Verum ad idem mysterium significandum mirabilis beatae Mariae foecunditatis cum virginitate eius coniunctae, nullum aptius luna reperiri potest symbolum: utraque enim virginitatis, et foecunditatis significatio ab humanarum literarum studiosis eidem lunae attribuitur. Etenim, quia in numismatibus Corneliae Augustae, ut refert Pterius Valerianus (*lib. 44*), lunae imagine haec inscriptio apponitur: *Foecunditas*; in aliis haec: *Pudicitia*. In castitatis vero significatione illud praestituitur, quod in Plectarum fabulis inculcatur, nempe Dianam,

prae virginitatis amore, commercia fugisse hominum, et propterea virginum comitate septam, silvas venando peragrasse. Quare Virginitas, ceterique poetae illam appellant *Castam*. Facit quoque ad hoc illud Plinius: *Luna super omnia pura, luceque plena*. Significatio autem foecunditatis similiter est congruentissima: sit enim et luna sunt, qui omnia generant, ac procreant. Ceterum ad virginitatis significationem nihil opus est, fabulas accrescere: apud Bernardum enim (*lib. de pass. Dom. cap. 31*) legitur: *Quis sanctorum chorus melius lunae comparatur, quam beatas Virginis, videlicet, propter ipsius candorem, et pulchritudinem*; subditque: *Honorabitur praeceteris syderibus praeminere*. Deinde, qui attente lunam inspexerit, haud dubitabit, recte ab illo fuisse prolatum, qui dixit, lunam margaritarum ideam videri. Constat autem margaritas esse apissimum virginitatis symbolum. Luna igitur iungit virginitatem pariter, ac foecunditatem, ac proinde beatissimam Virginem matrem.

Rursus mira beatae Virginis foecunditas in eo etiam elucet, quod non solum genitrix sit Dei, sed pariter etiam gratiae, et misericordiae mater. Ad rem significandam egregie conducit lunae symbolum subter mulieris pedes positae, ut d. Ioanni ostensum fuit: nam in primis dignitatis matris Dei proprium epithetum est: *Regina caeli*, quod nomen tribuit lunae Hieremias (*cap. 7*): *Ut faciant plantatas Reginae caeli*. Deinde quod mulieris pedibus sit subdita, non denotat eam, aut viciam, aut despectam esse, sed velut Ecclesiae basim, ac fundamentum, ita supponi. Quare si Apostoli bases terrae nuncupantur, Iob (*cap. 38*), ut exponit divus Hieronymus, et divus Gregorius, quanto congruentius Dei Mater, coeliue Regina, dicitur Ecclesiae basis? Praeerea Ioannes vidit mulierem luna fulciri, et sole, ac syderibus ornari, quod nobis innuit lunam, dum mulierem instar basis sustentat, esse etiam fulcrum, ac basim, quo non stellae ipsae solum, sed sol quoque mulierem circumvestiens quodammodo nitebatur. Hoc vero elegantius exprimitur in ea, quod b. Virgo sit Dei mater: filius enim, et maxime dum in utero eius delectat, quodammodo in matre, sicut in basi, columna fulcitur: ideoque et Apostoli, et universa Ecclesia sustentantur in beata Virgine, eo quod ipsa sit veri Dei mater. Deinde arbitrari, consulto beatam Virginem nive locum habitationis delineasse, ut quales vellet eius famulos esse, nivis symbolo insinaret. Singulare arcanum laet in illis verbis Isaiae de b. Virgine dicens (*Isai. 30*): *Gloria Libani data est ei*. Duo significat Libanus, ut tradidit Nicolaus de Lyra: significat enim dealbationem, seu candidationem, pariterque vilationem cordis, quae duo, licet diversa videantur, multum tamen per omnem modum inter se cohaerent. Etenim licet omnes creaturae filiae Dei sint, ut non obscure indicant verba Iob, Deum patrem pluviae appellantis; illi tamen solum filii cordis Dei esse censentur, qui puritate conscientiae candidi sunt. Cum ergo Isaia ait (*cap. 30*): *Gloria Libani data est ei*, hanc honoris gloriam Deum praestitisse beatae Virgini

indical, ut non alios habeat, quam filios cordis Dei; quos proinde oportet esse castos, et candidos, cum cor divinum fons sit omnis candoris, et puritatis. Ut significaret ergo beata Virgo cupere valde, eos, qui sibi famulari gloriantur, omnino esse candidos, hoc est, castos, et a peccati lethali macula alienos, voluit locum domus suae extruendae nive delinari. Tales beatae Virgini placent famuli, quales erant Nazaraei, de quibus Hieremias (*Thren. cap. 4*): *Candidiores Nazaraei eius nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, saphyro pulchriores*, vel, ut Septuaginta Interpretes vertunt: *Mundati sunt Nazaraei eius super nivem, splenderunt super lac, rubuerunt super lapides saphyri*. Nazaraei olim erant in maximo honore habiti, quia sacri Deo erant, et a ceteris hominibus separati: *Nazareus* enim, ut Origenes annotat hic, et, ut Symmachus tradit, *segregatum* significat. Horum magna erat abstinentia, et multae caeremoniae, ut legitur (*lib. Numer. cap. 6*). Hi Deo acceptissimi credebantur, et ideo inter Iosephi benedictiones legitur: *Fiant in capite Ioseph, et in vertice Nazaraei* (*Genes. 49*), et inter beneficia in Israele collata (*Anos c. 2*) illos Scriptura reponit, et Iudas (*1. Mach. 3*) Nazaraeorum commiseratione Deum placare conatur. Excellentia ergo horum Nazaraeorum Hieremias quadruplici elegantiori comparatione commendat, nivis, lactis, eboris, et saphyri. Primo ait: *Candidiores nive*, abicit in proverbium: *Nive candidior*; cuius mundities non est alia, quam merus, et impermixtus eius candor: unde regius Psaltes desiderans munditiam magnam (*Psal. 50*) dixit: *Lavabis me, et super nivem dealboris*. Deinde ait: *Nitidiores lacte*, alludit ad pinguedinem lactis, cuius proprium est nitere, et splendere. Per vocem, *Candidiores*, indicaverat puritatem, nunc addit splendorem, ut significaret Nazaraeos non a Deo commendari propter nudum candorem, qualis est corporum male affectorum, sed ob candorem vitalem, et sanum, qui index est probae valetudinis, et optimi temperamenti. Quare nitidiores idem est, quod bene curati, pingues, et quasi relucentes, qua phrasi usus Horatius, dixit:

Me pinguem, et nitidum bene curata cute.

Sed non haec, de qua Horatius, pinguedo erant Nazaraeorum, sed illa spiritualis, de qua David (*Psal. 62*): *Sicut adipis, et pinguedine repletur anima mea*. Tertio addit: *Rubicundiores ebore antiquo*: Graeca vox pro ebore antiquo *gemmam* ponit, quod satis cohaeret cum Hebraeo fonte. Chaldaeus exponit: *Rubicundiores aspectu pyropi*. Sed Vulgatae nostrae lectione servata, sub metaphora antiqui eboris, significat non fuisse candorem caducum, seu exanguem, sed vividum, et cum rubore permixtum, qualis est vultus sani, et qualis erat sponsi; de quo Sponsa dixit (*Cant. 5*): *Dilectus meus candidus, et rubicundus*. Ut autem intelligeremus, ruborem hunc non esse facile evanescentem, instar illius, qui ex verendia oriendi solet, sed constantem, idcirco u-

sus est comparatione eboris antiqui, quod licet, cum novellum est, candidum sit dumtaxat; antiquitate vero, et diuturnitate temporis, admixtione modici ruboris, ex candido fit flavum, et ex flavo tandem, labentibus annis, purpurascit. Quarto denique: *Saphyro pulchriores*, ac si diceret: quid multa? eorum species non humana, sed caelestis, et divina videbatur: quae factoris, et fabri sui perlitam inventi, confestim persuadebat, iuxta illud (*Ps. 18*): *Coeli enarrant gloriam Dei*. Saphyrum enim, nemo est, qui ignoret, coelestem colorem referre: haec ad sensum literalem huius loci pertinent; nunc ad spirituales nos convertamus.

Cupit beata Virgo famulos suos Nazaraeos esse, hoc est, segregatos, et sequestratos ab omni eo, quod sinceram mentis puritatem deturpare potest, iuxta illud (*Isai. 32*): *Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio eius*. Ad quod etiam facit, quod sicut, quia volebat Deus Nazaraeos a vino abstinere, stricte praecipit eis, ne uvae etiam passas comederent, immo, et quod ab ipsis uvarum acinis se temperarent, ne ab acinis ad uvas, ab uvis ad vinum transirent; ita ad praecedendum aditum peccato, oportet etiam ab his, quae ad illud viam parant, aut cum illo affinitatem, vel cognitionem habent, se prorsus arcere; similiter etiam Deus, cum prohibuisset Iudaeis in die sabbati cibos parere, simul etiam, ne eo die ignem domi haberent, interdixit, quia habere ignem domi poterat esse parandi cibos, atque adeo praecipit violandi occasio (*Exod. 35*): *Septimus dies erit vobis sanctus, sabbatum est requies Domini, qui fecerit opus in eo, occidatur: non succendetis ignem in omnibus habitaculis vestris per diem sabbati*. In quem locum Hebraei dicunt, non solum prohibuit esse accendere ignem die sabbati, sed, aut ex lapide, aut metallo illum elicere, immo et lampadem fovere.

Et quoniam Rabbi Abraham Abenestra sic legem interpretabatur, prohiberi quidem succendere ignem ad parandos cibos, non tamen ad calcandum, si vigeret frigus. Alii Rabini iudicantes liberiorum hanc interpretationem sabbati, religionem indemnem relevare volentes, eandem Rabbi Abenestra haereticum declarant, adversusque eum conscripserunt libellum, sabbati personam per prosopopeiam fingentes contra Rabbi Abenestra disputantem, quemadmodum refert Abulensis (*quaest. 1. sup. cap. 35. Exod.*). Similiter (*Exod. 12*) cum agitur de polestate, et de septem illis diebus Azyrnorum, non solum interdicitur, ne vescantur fermentato, sed ne fermentum quoque in domibus habeant: *Primo mense, decima quinta die mensis ad vesperam comeditis azyma usque ad diem vigesimamprimam eiusdem mensis ad vesperam, septem diebus fermentatum non invenietur in domibus vestris*. Quo loco Paraphrastes Chaldaeus, et septuaginta Interpretes fermentum transtulerunt. Denique (*Exod. 19*) cum prohibuisset hominibus montem Syna tangere, praecipit illud, ne iumentum ad montem accederet, quia poterat esse occasio legis violandae.

Hanc eandem ob causam, ut hoc mystice addamus, (Ezech. 8) reprehenduntur sacerdotes, qui stabant ante picturas Idolorum, quae erant depicta in pariete in circuitu templi, habens unusquisque thuribulum in manu sua: *Ecce omnis similitudo reptilium in manu sua: abominatio, et universa Idola domus Israel depicta erant in pariete in circuitu per totum.* Et septuaginta viri de senioribus habebat stabant ante picturas, et unusquisque habebat thuribulum in manu sua. Etenim occasiones peccandi sunt quaedam, veluti picturae Idolorum, ante quas stat, qui sese peccatorum occasionibus obicit; et multo magis, qui eis per delectationis, et ipsius fore consensus, quodam veluti odorem thurificat. Quantum vero occasiones peccandi fugiendae sint, suo exemplo docuit Iob sanctissimus, qui de se loquens ait (cap. 31): *Peppi foedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine: in quem locum Glossa: Visum, inquit, sequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem consensus, consensus operis, ac consuetudo, consuetudinem necessitas, necessitatem desperatio, desperationem dominatio.* Unde merito (Thren. 3) dicitur: *Oculus meus depravatus est animam meam.* Adnotavit vero acute in eundem locum Caelianus, Iob suum hoc propositum appellasse foedus propter firmitatem: *Deliberatum, inquit, ac firmatum propositum significat, dicendo, pepigi foedus: quantum deliberavit feci, et immobilis propositum, quod involvibile debet esse; ideo enim pacta fiunt, ut non liceat mutare; haec ille.* Cupit deinde beata Virgo famulos suos, *Candidiores nive, nitidiores lacte*, hoc est, castitatis virtute conspicuos: nix enim, et lac symbolum sunt castitatis: haec enim nivea, candida, atque lactea est, ut merito viae illi lacteae, quae in coelo inferendum apparel, sit comparanda: et quidem, quod castitas purissima, et candidissima sit, ex eo hincertum liquet, quod in sacris eloquiis *Sanctimonia* vocatur. Divus Paulus (ad Hebr. 12) ait: *Pacem sequamini, et sanctimoniam;* quo loco sanctus Hieronymus (in cap. 47. Ezech.) alii, pro castitate positam esse sanctimoniam. Quod etiam confirmat illud (1. Ioan. 3), nam ubi nostra Vulgata ait: *Qui habet hanc spem in eo, sanctificat se*, divus Augustinus (tract. 44. in 1. epist. Ioann.) in hunc modum haec verba transtulit: *Omnia, qui habet spem in ipso, castificat semetipsum, sicut et ipse castus est.* Quod autem castitas, via illa lactea coelestis sit, ex eisdem locis plane constat: nam postquam dixit Apostolus (ad Hebr. 12): *Pacem habete, et sanctimoniam;* continuo subiunxit: *sine qua nemo videbit Deum:* et postquam d. Ioannes (1. Ioan. 3) dixerat: *Cum apparuerit, stantes et erimus, quia videbimus eum sicuti est*, confestim subiicit: *Omnia qui habet hanc, castificat semetipsum;* quod perinde Deum, debet cum hac spe castitatem coniungere; alioquin non videbit illum. Cupit insuper beata Virgo alumnos suos, *Rubicundiores ebore antiquo*, hoc est ita castitati esse addictos, ut si propter castitatem servandam, per sanguinis effusionem, ad instar eboris antiqui, ru-

biendos reddi feliciter contingat, id minime perhorrescat. Certe sicut candor eboris antiqui vertitur in ruborem, ita vetusta castitas vertitur in martyrium propter illius servandam miram difficultatem. Ac tandem, quia cupit beata Virgo adoptivos eius filios, naturalis filii castimoniam, quoad fieri possit, imitari, ultimo loco addit: *Sapphyro pulchrioribus:* quia, cum pulchritudo sapphyri in eo sita sit, quod coelestem colorem redolet, et ut auctor est Plinius (libr. 37. cap. 9.) aureis punctis ita collucet, ut ipsum coelum stellarum punctis decoratum repraesentare videatur: idcirco ad significandum, ad eum sublimem castitatis gradum curandum esse ascendere, qui coelestem imiletur colorem, ultimo loco apposit: *Sapphyro pulchrioribus:* cuius color coelestis per imitationem esse perhibetur.

Ad extremum, plures alias nives proprietates, et effectus breviori stylo percurramus, ne longiores, quam par est, videamur. Nix propter excellentem, ac intensissimam suam innatam albedinem est summe disgregativa visus, ut auctor est Aristoteles (lib. de sens. et sens.), quae sicut ad oculorum aciem in eam delectabiliter firmandam non allicit, ita Mariana castitatis candor talis fuisse perhibetur, ut aspectus vultus illius disgregativus valde esset, ad lascivum amorem neminem intentionum alliciens: etenim aliae foeminae quantumvis sanctitate conspicuae, et castitate insignes, sua pulchritudine inspicientium animos ad libidinem incitarent, ut in casta Susanna conligit (Daniel. 13.), et in pudicissima Iudith (e. 10), cuius pulchritudinis aspectu captus fuit Holophernes: *Sandalia rapuerunt animam eius.* Unde Theodolus poeta cecinit:

Foeminae vires expavit Iux Holophernes  
Insignis viduae vesauo captus amore.

At ex aspectu Mariani vultus, licet alioquin pulcherrima illa esset foeminarum, nullius unquam intuitus animus ad libidinem fuit accessus, ut sanctus Thomas, et d. Bonaventura, et alii theologi testantur (in 3. dist. 3): idque variis modis contingere potuisse opinor. Primo, quia, ut ait Nicolaus de Lyra (in cap. 1. Matth.), sicut ex vultu Moysis propter mutuum colloquutionem cum Deo, concusantes adeo radii egrediebantur, ut non possent filii Israel in eum oculorum aciem inferre, ita Deiparae vultus adeo praefigentes radios emittebat, ut attentis, ac fixis luminibus homines in eam intueri non possent. Secundo nemo ignorat, Ammonem, sororem suam, quam primo ardentem adamaverat, postmodum adeo pulchritudinem eius despexisse, ut odio illam haberet, ut (2. Reg. cap. 13) legitur. Experientia etiam compertum, ex daemonis versutia, et suasionem, saepe viros pulcherrimas quoque foeminas ita contemnerent, ut nec primo concupiscentiae motu in eas ferantur; sic ergo, divino consilio factum est ut beatae Virginis pulchritudinem aspicientes, nullatenus ad libidinem excitarentur, sed in alia distrahentur. Tertio ut sanctus noster Bernardus Senensis (de Evang. aetern. ser. 2. feria) tradit

## HOMILIA II.

In illa verba: *Extollens vocem quaedam mulier de turba, etc. foeminarum praecentia decantantur, et quae variis virtutibus, etiam inter Ethnicos mirifice floruerunt, recensentur.*

Probas foeminas laudare, sicut et improbas vituperare a divi verbi praecentio alienum non puto; cum et s. Patres, praesertim d. Hieronymus, Chrysostomus, et Ambrosius, necnon sacra eloquia frequenter id faciant. Quare sumpta occasione ex laudabili facto huius Evangelicae mulieris, quae, vires Christi laudes silentibus, immo variis conviciis illum lacerantibus, nam, ut d. Lucas ait (e. 11): *Quidam illorum dicebant: In Beetz-bub princeps daemorum eiecit daemonia: alii tentandi illum gratia miracula ab eo postulabant (ibid.): Tentantes signum de coelo petebant ab eo; sola haec mulier partes Christi agens in eius laudes prorupit (ibid.): Beatus center, qui te portavit, et ubera, quae suxisti: non abs re erit, si par pari referens foeminarum praecentia decantem.*

## §. 1.

## AB ETYMOLOGIA NOMINIS FOEMINAE LAUDANTUR.

Ut tamen argumentum hoc alius repelamus, a nominis etymologia auspicabimur. Etenim licet argumentum a nominis etymologia ductum, ad rei excellentiam manifestandam, leve, et futile videatur, revera tamen magni momenti esse tam in prophanis, quam in sacris literis lego: nam Aristot. (lib. 8. Metaph.) docuit, nomina in rerum cognitionem nos ducere. Quare Aegyptii, et Chaldaei rerum nominum coelitus elapsa existimant, et antiqui Hebraei nomina rerum, ut facta diuturna, ac longa observatione, tam ipsorum nominum, quam operationum rerum nominalium scientiam quandam invenerint, quam vocantur *nomandia*, per quam et rerum naturas agnoscere, et futuros eventus praesagiri praesumebant. Id tamen verissimum fatetur Catholici, Adamum scientia coelitus sibi infusa nomina rebus imposuisse, naturis earum valde accommodata, ut testatur Moyses (Genes. 2): *Omne quod vocavit Adam, ipsum est nomen eius.* Hinc divus Paulus ex nomine Iesus Christo Domino imposito colligit excellentiam prae illis nomen haereditavit. Nomen autem impositum Evae nemo sanae mentis negabit excellentius esse, quam quod Adam sortitus est: nam Adam terram significat; Eva autem vitum. Igitur ex hoc capite, quantum vita terram, tantumdem foemina vitum excedit. Deinde ut taceam nomen Hebraic-